



**R. P. Sebastiani Izquierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii  
Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qualificatoris, Et  
Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs  
Theologicvm, Iuxta atque ...**

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

**Izquierdo, Sebastián**

**Romae, 1664**

Quæst. 8. Vtrum Attributa diuina sint multitutine infinita. Aut certo aliquo  
numero comprehensa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76990](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76990)

Certum est autem, tam similia, quam dissimilia quoad suos conceptus reales innumera esse. Ino-  
esse infinita, ex dicendis questione sequente ap-  
parebit.

Propositio 5.

<sup>139</sup> Quæ de attributis semiextrinsecis  
Deo dicta sunt propositione 3. & 4. eodem  
pacto locum habent in attributis ipsi extrin-  
secis.

Quia certum est, satisque ex haecenüs dictis  
cuilibet notum, attributorum extrinsecorum Deo  
multa dissimilia inter se, & multa similia esse à  
parte rei quoad suos conceptus reales. Multa-  
que pariter subinde dissimilia, & multa similia  
euadere in mente nostra obiectivè quoad suos con-  
ceptus formales.

<sup>140</sup> Ex quibus omnibus colligitur, attributo-  
rum Dei in vniuersum multa esse specie diuersæ,  
& multa eiusdem speciei quoad suos conceptus  
formales; quia perinde est esse dissimilia, ac esse  
diuersæ speciei, & esse similia, ac esse eiusdem.  
Quoad conceptus vero reales ex semiextrinsecis  
& extrinsecis multa pariter sunt diuersæ, &  
multa eiusdem speciei ob eamdem rationem. In-  
trinsicæ verò, cum sint quoad tales conceptus pen-  
itus idem, quecumque nullam à parte rei distinc-  
tionem habent, neque specificè, neque numerice  
sunt diuersa, ut constat. Circa quod nihilominus  
vniuersalis doctrina tradita in Pharo Scient. di-  
sput. 17. quest. 8. videnda est.

<sup>141</sup> Verum enim vero, quamquam omnia di-  
cta in omnibus præcedentibus propositionibus ita  
sunt; quia tamen in scientijs de individuis qua-  
tenus talibus fere non solet ratio haberi, quoties  
de distinctione, aut diversitate, aut multitudine  
attributorum Dei, aut de quavis omnino eorum  
comparatione sermo sit in Theologia, nullatenus  
agitur (nisi id aperte exprimatur) de attri-  
butis Dei solum numericè, atque adeò indi-  
vidualiter differentibus, subindeque inter se simili-  
bus; sed tantum de differentibus specificè, atque  
adeò dissimilibus inter se. Quod notatum hic esto  
pro omnibus questionibus, vbi de attributis diui-  
nis quatenus multis sermo fuerit.

QVÆSTIO VIII.

Virum Attributa divina sint multitudi-  
ne infinita. Aut certo aliquo  
numero compre-  
hensa.

<sup>142</sup> Sermo est in hac quest. dumtaxat, sicut & in  
sequente, & alijs eiusmodi iuxta notationem  
factam num. præced. de multitudine attributorum  
inter se dissimilium, atque adeò specificè differen-  
tium. Quæ quidem esse multitudine infinita,  
censuerunt aliqui apud Recupit. lib. 3. de Deo  
quest. 13. Quibus, loquendo de infinitu[m] in-  
syncategorimatico, consentit Quiros disput. 18.  
de Deo, sect. 5. Ceterum non esse actu in multa  
docent idem Recupit. & Quiros ibidem cum Soar.  
lib. 2. de attributis cap. 22. num. 15. Vazq. 1. par.  
disput. 10. num. 28. Granad. disput. 9. num. 3. & Smi-  
sing tract. 2. de Deo uno disput. 1. num. 9.

Propositio 1.

Attributa Dei prorsus intrinseca (si <sup>142</sup>  
Trinitatem personarum excipias) vnum  
quid sunt à parte rei; non plura, nemum  
infinita.

Ita sentiunt omnes relati Autores. Et con-  
stat ex doctrina statuta quest. 2. Quia attributa  
Dei prorsus intrinseca (si tres personalites my-  
sterij Trinitatis excipias) nullam inter se à par-  
te rei distinctionem habent iuxta ibi dicta.  
Absque distinctione autem attributorum rea-  
li pluralitas realis eorum, nemum infinitas mul-  
titudinis, neutquam stare potest, ut est notis-  
sum.

Propositio 2.

Attributa Dei prorsus intrinseca ne <sup>144</sup>  
per rationem quidem sunt plura respectu  
eorum, qui illa cognoscunt intuituè.

Quia, ut dictum est quest. 2. proposit. 14. à  
cognoscitibus Deum intuituè ne per rationem  
quidem distinguuntur attributa eius identificata  
realiter; atque adeò illis, non plura ullo modo,  
sed vnum penitus apparent.

Propositio 3.

Attributa Dei prorsus intrinseca per <sup>145</sup>  
nostram rationem multa sunt inter se dis-  
tinguita, dum multa inter se distincta conci-  
piuntur à nobis. Actu tamen categori-  
maticèque infinita adhuc per nostram rationem  
esse non posunt.

Prior pars propositionis ex dictis quest. 2.  
proposit. 7. & sequentibus constat. Ibi enim sta-  
tuimus, attributa Dei tum ab essentiâ, tum inter  
se per nostram rationem distinguui, atque etiam  
obiectivè praescindi, & consequenter in multa  
diuidi. Quæ quidem eò plura, aut pauciora  
erunt, quòd in plures formalitates, siue metaphy-  
sicas partes entitas Dei per rationem nostram  
præcisa, siue diuisa à nobis aut simul, aut succes-  
siuè concepta fuerit. In quo numerus determina-  
tus signari non potest: quidquid contendat Gra-  
nad. supra omnia attributa Dei ad viginti redu-  
re. Quia, facta quavis præcisione formalitatum  
Dei, alia, & alia sine fine effici possunt ab intelle-  
ctu nostro: suppositoque quouis formalitatum nu-  
mero, alia, & alia posunt illis adiungi iuxta dicen-  
da proposit. 4.

Posterior autem pars præsentis propositionis, <sup>146</sup>  
inde monstratur. Quia intellectus noster nec si-  
muli, nec successiū potest infinitas Dei formalita-  
tes distinctas inter se concipere, prout opus erat,  
ut attributa Dei distincta à nobis per rationem  
essent actu infinita. Non simul: quia intellectus  
noster non potest concipere plura obiecta distin-  
ctè ut plura, nñ per plures, per totidemque co-  
gnitiones, ut oftenum est in Pharo Scient. di-  
sput. 2. quest. 2. conicet. 2. & nequit simul connaturaliter  
multas cognitiones, nemum infinitas ha-  
bere, sed aliquas paucas dumtaxat, ut experien-  
tia constat. Non successiū: quia multitududo actu  
infinita successiū pertransfiri non potest, & quæ  
unque successiū percurruntur, semper consti-  
tuunt

78 Tractatus I. De Deo uno.

tuunt numerum actu finitum. ut est notissimum, Atributa igitur Dei ipsi suis intrinseca per nostram rationem distincta, plura, & plura ut sic possunt esse; actu tamen categorematicaeque infinita esse non possunt. Quod erat ostendendum.

Propositio 4.

147 Attributa Dei prorsus intrinseca, & per rationam nostram distincta etenim sunt in potentia, syncategorematicaeque infinita; quatenus, concepto a nobis quo-nius eorum numero, alias maior, & alias maior absque ullo limite successivè concipi potest.

Probatur, Quia triplex est fundamentum, ex parte rerum, ad distinguenda in Deo per nostram rationem diversa attributa, sive diuersas formalitates, ut constat ex doctrina tradita supra disput. 1, quest. 3. Primum diversitas perfectionum in creaturis repartum, quas ab omni labore imperfectionis depuratas distincte, & sigillatum in Deum transferimus; quo pacto dicimus, Deum esse bonum, intellectuum, volituum, fidelem, iustum, misericordem, veracem, &c. Secundum diversitas imperfectionum in creaturis repartum, quas distincte etiam, & sigillatim removemus a Deo; ut quando afferimus, esse eum immortalem, impassibilem, impeccabilem, incomprehensibilem, &c. Tertium diversitas connotatorum, ad quae Deum possumus, atque formamus distincte pariter, & sigillatim comparare, vel tanquam causam ad effectus, vel tanquam intelligentem, aut amantem ad obiecta intellecta, aut amata, vel tanquam dominum ad res subditas, &c. Cum ergo entia diversa possilla, atque etiam impossibilia sint infinita, ut ostendemus disput. 13, proindecum tum perfectiones, tum imperfectiones diversa in eis reperiunda, tum connotata, ad qua Deus potest diversimode comparari, infinita sunt; infinita vtique diversae formalitates in eis omnibus fundate sunt distinctibiles a nobis successu temporis in Deo; aut per modum perfectionum similium perfectionibus, aut per modum conceptum remouentium imperfectiones eiusmodi infinitorum entium, aut per modum aliorum respectuum alter terminatorum ad ipsa tanquam ad connotata. Quo sit, ut, concepto a nobis in Deo qualibet numero formalitatum per nostram rationem distinctarum, atque adeo attributorum ipsi prorsus intrinsecorum, alias maior, & alias maior absque limite concipi possit, ut nostra propositio fert, cum fundamento in ipsis rebus. Quod ipsum est, attributa Dei prorsus intrinseca, & per rationem nostram distincta potentia, & syncategorematicae infinita esse.

148 Etenim, quanquam multa praedicta Dei in ipsis rebus modis dictis fundata per aliquid Deo extrinsecum compleantur in suo adequato conceptu, plerunque tamen illud Dei intrinsecum, quod unumquodque eorum includit in se, formalitas est per rationem nostram distincta a Dei intrinseco inclusa in alijs. Qua proinde formalitates praesertim sumptue attributa Dei prorsus intrinseca distincta inter se per nostram rationem dici possunt, cum ceterisque mere intrinsecis connumeranda veniunt. Verbi gratia,

omnipotentia, a qua Deus dicitur absolutè potens causare creature, per ipsarum creaturam possibilitatem Deo extrinsecam completur in suo conceptu reali, & impeccabilitas, a qua Deus absolute dicitur impeccabilis per quiditatem potentie peccandi Deo repugnantis completur in ipso iuxta doctrinam datum supra quest. 3. Intrinsecum autem Dei inclusum in omnipotentiā, & intrinsecum inclusum in impeccabilitate formalitates Dei sunt inuicem per rationem nostram distincta, que sumptue præcisè cum voluntate, intellectu, bonitate, & ceteris attributis Dei mere intrinsecis possunt connumerari. Tantumdemque de similibus venit cendum,

Vnum hic est notandum, Omnia attributa 149 intrinseca Deo cum actu distincta, cum potentia distinguibiliā in infinitum per rationem iuxta propositionem præsentem sub paucis conceptibus complecti posse à nostro intellectu, atque etiam sole. Ut namque possumus integrum Deum cum omnibus suis formalitatibus cum alias actu per rationem distinctis, tum in infinitum distinguibiliā sub uno conceptu complecti, determinantibus ad id principijs, quibus ad illum sic concipiendo mouetur, inducitur ve intellectus noster; ita etiam possumus integrum Deum, cum eidem suis formalitatibus sub paucis quibusdam conceptibus in eos tantum tanquam in partes per nostram rationem præcīsum complecti, determinantibus patiter ad id principijs, quæ indūcunt intellectum nostrum ad tales conceptus de Deo formandos, ad illumque subinde in eos solos, & non in plures dividendum, seu præscindendum, iuxta doctrinam yniuersalem de nostro modo cognoscendi, & præscindendi formalitates traditam in Pharo Scient. disput. 2. quest. 3, & disput. 13. quest. 9. Hoc tamen non tollit, quoniam singulos hosce conceptus Dei, qui quædam eius sunt attributa, veluti collectiva, in plures, & plures sine limite possit intellectus noster dividere, qui attributa Dei veniant dicenda veluti minutaria; siue sunt attributa Dei per nostram rationem distinguibiliā infinita syncategorematicae, ut proppositio data fert. Sic sub uno attributo sapientiae solemus complecti omnes, actus intra ipsum distinguibiliā, quibus sigillatum cognoscit Deus infinita obiecta diuersa; & sub uno attributo omnipotentia omnes potentias intra ipsum distinguibiliā, quibus Deus potest producere infinitos effectus diversos; & sub uno attributo sanctitatis, siue bonitatis moralis omnes virtutes morales, & infinitos earum actus intra ipsum distinguibiliā circa infinita obiecta diuersa. Pariterque in similibus,

Propositio 5.

Attributa semiextrinseca Deo actu in infinita sunt, quatenus actu sunt infinita extrinseca, quibus illa complentur in suo conceptu reali.

Etenim entia diuersa extrinseca Deo tam possibilia, quam impossibilia intra suum statum quiditatiuum actu, sive categorematicae, sunt infinita, ut ostendemus inferioris disput. 13. Nullum autem est, ex quo non resultet aliquid, aut plura attributa, sive prædicta Dei semiextrinseca, quibus dicitur, sive denominatur uniuicue aut similis, aut dissimilis, aut inæqualis, aut oppo-

situs

## Disp. II. De Attributis Dei in commun. Quæst. IX. 79

situs, aut potens illud producere, aut aliud quid-  
piam. Id quod inde etiam ostenditur. Quia,  
ut monstrauimus in Pharo Scient. disput. 17.  
quæst. 18. omnis essentia per comparationem ad  
infinitas alias, cum quibus combinari potest, &  
comparari, infinitas passiones tum proprias, tum  
communes sortitum, quæ ipsius subinde prædica-  
ta, sive attributa quædam sunt. Igitur potissimum  
omnium iure id verum est de essentiâ Dei. Porro  
infinita ista attributa Dei semi extrinseca non so-  
lum per rationem nostram, sed etiam realiter esse  
inter se distincta, quatenus extrinseca illa, quibus  
complentur, realiter sunt distincta inter se; indu-  
bitabile est.

### Propositio 6.

Etiam attributa extrinseca Deo actu,  
sive categorematicè sunt infinita.

Quia chymæ impossibilis diuersæ, à qui-  
bus Deus merè extrinsecè denominatur impotens  
eas producere, categorematicè sunt infinitæ ut  
diximus, proindeque & ipsæ Dei denominatio-  
nes, sive attributa extrinseca. Actus item possi-  
bles tum cognitionis, tum amoris inter se diuer-  
si de Deo, à quibus ipse extrinsecè denominatur  
diuersimode cognoscibilis, & amabilis, infiniti  
etiam sunt; proindeque & ipsæ denominaciones,  
sive attributa Dei extrinseca. Denum connexio-  
nes, quibus infinitæ creaturæ possibles cum  
Deo essentialiter sunt connexæ, infinitas denomina-  
tiones extrinsecas attribuunt Deo, quibus ex-  
trinsecè denominatur terminans tales connexio-  
nes, ad illas requiritus, &c. Huiusmodi etiam  
extrinseca Dei attributa infinita quoad multitudinem  
distincta esse inter se realiter, manife-  
sum est.

## QVÆSTIO IX.

Vrum Attributa diuina aliquo modo  
sunt inter se ordinata. . .  
Et qualiter.

153 **S**upponenda hic imprimis est, atque recolenda  
doctrina generalis tradita in Pharo disp. 15.  
de ordine, sive ordinatione entium. Vbi statui-  
mus, bifariam posse, & solere dici entia ordina-  
ta. Primo secundum proportionem. Secundo  
secundum seriem. Secundum proportionem di-  
cuntur ordinata, quæ cum aliqua proportione  
partium, ex quibus componuntur, disposita sunt;  
cuiusmodi sunt pulchra, harmonica, temperata,  
& aliter quovis modo proportionalia. Secundum  
seriem autem ordinata dicuntur, quæ in aliqua  
serie tractum aliquorum graduum habente posita  
sunt; idque aut suæ naturæ, aut ex accidente.  
Series autem aut est cum prioritate, & posteriori-  
tate absoluta, sive graduum, ut series dura-  
tionis, originis, connexionis, & dignitatis; aut  
sine illa, ut series praefatarum localium; & si quæ  
sunt alia. In quibus virisque rursus prioritas, &  
posterioritas respectiva ad tertium venit con-  
sideranda. Quæ omnia, & plura scripta expli-  
catius loco citato videnda sunt. Vnde, eis suppo-  
rias, sit.

### Propositio 1.

Omnia attributa Dei tam ipsi intrinseca, 154  
ca, quam semiextrinseca, & extrinseca,  
quæ aliquam à parte rei distinctionem aut  
simpliciter realem, aut virtualem habent,  
mirificam à parte rei proportionem, pul-  
chritudinem, & harmoniam, seu consonan-  
tiam habent.

Quia eiusmodi Dei attributa à parte rei esse  
ordinatissima secundum proportionem, adeò  
ut melior alia intra istud genus ordinatio neque  
possibilis, neque ex cogitabilis sit, profus indu-  
bitabile est. Cum ea sit circa omne dubium perfe-  
ctio Dei, & omnis perfectio Dei qua talis intra suum  
genus sit summa, prout exponendum est inferius  
disp. 16. Vbi etiam videndum, quomodo cetera  
attributa Dei nullam à parte rei distinctionem ha-  
bentia, aut certè quomodo una Dei unitas sim-  
plicissima, cum qua illa sunt prorsus idem, pul-  
cherrima nihilominus sit, alio videlicet genere  
pulchritudinis ab ea, quæ in proportione partium  
consistit.

### Propositio 2.

Omnia attributa Dei quoad suos con- 155  
ceptus formales aptissime sunt ordinata se-  
cundum proportionem, atque adeò sum-  
mam in suo genere pulchritudinem, har-  
moniam, seu consonantiam habent.

Quia, cum in realibus conceptibus, quibus  
correspondent, fundentur, eamdem ordinatio-  
nem secundum proportionem, eamdemque pro-  
inde pulchritudinem, & consonantiam censer-  
habere formaliter, quam aut formaliter, aut emi-  
nenter illi habent à parte rei.

### Propositio 3.

Attributa intrinseca Deo, quæ nullam 156  
à parte rei distinctionem habent, nullum à  
parte rei habent ordinem prioris, & poste-  
rioris naturâ suâ.

Quia idem se ipso nec prius, nec posterius  
esse potest à parte rei naturâ suâ, ut ex se patet,  
statutumque à nobis est in Pharo Scient. disp. 15.  
citata quæst. 7. proposit. 4. Dico naturâ suâ. Quia  
ex accidente bene potest idem se ipso esse prius,  
& posterius iuxta dicta ibidem proposit. 10.  
Quo pacto bene potest diuina entitas in serie du-  
rationis dici prior prout habens esse in uno tem-  
pore se ipsâ prior habente esse in alio; & in serie  
originis, atque etiam connexionis non mutua  
dici prior potest prout habens esse in se se ipsâ  
prout habente esse in hoc Mundo quasi localiter,  
& in visione creatæ sui intentionaliter, seu obie-  
ctuè.

Loquor etiam in propositione de attributis 157  
Dei nullam à parte rei habentibus distinctionem.  
Quia, quæ distinctionem habent simpliciter realem,  
ut sunt personalia ordinem habent prioris &  
posterioris naturâ suâ in serie originis; siquidem  
Pater prior quam Filius est prioritate originis,  
Paterque, & Filius, quam Spiritus sanctus. An  
verò in serie dignitatis, seu perfectionis aliquem  
etiam